

Deus mortem Christi, natà πρόθεστη immutabilem, & natà πρόγνωστη infallibilem, decreuerit, necessario debuerint Judas Christum prodere, Herodes & Pilatus eundem damnare, Iudei autem & milites illum crucifigere, quippe quod, Act. IV, 27, sq., clarissimis verbis affirmetur. Est illud ambigue dictum, & potest intelligi, vel a.) de necessitate absoluta, causali, & hostes Christi impellente, qualis necessitas, neque ex immutabili πρόθεστη, vel etiam ὠρισμένη βελή τῇ Θεῷ, cuius mentio iniicitur in nostro oraculo, neque ex infallibili προγνώστῃ τῇ Θεῷ, deriuari potest, quia cum infinite perfecta sanctitate & iustitia, immo etiam cum libertate hostium Christi, pugnat. Vel b.) de necessitate eventuali, hypothetica, & hostibus Christi libertatem relinquente. Atque hæc a nobis non negatur, frustra autem urgetur ex Act. IV, 27, sq., quia extra statum controversiae ponitur, & Act. IV, 27, sq., non dicitur Deus decreuisse, ut Herodes & Pilatus hæc facerent, sed ut ista fierent, quod verbum respicit finem, ob quem Deus Herodi & Pilato (non diuino impulsu) sed proprio insinatu & cœco furore conuenientibus, permisit, ut Dominum gloriae interficerent. Proinde hæc verba, ut fierent, d.l., non absolute ratione facti impii, a Pilato & Iudeis patrati, permissionem, sed limitate sumpta, ratione finis decretum, Dei denotant, quod nonnulli ex hodiernis Reformatis quandoque concedunt. Si quis hic IV.) ex more seculi nostri, & in gratiam Dissidentium, dixerit, logomachiam omnem hic esse evitandam, & faciles nos esse debere in verbis, ad concedendum, nunc imperium & mandatum moriendi pro Christo, nunc Christum prædestinatum, nunc prædestinationem hostium Christi ad cruci eum affigendum, nunc cetera omnia, quæ ex Dissidentium sententia antea prolata sunt. Huic responderem ad ultimum, non esse hic de verbis solis, sed de re ipsa, & hac quidem maxime ardua, questionem, nec in verbis nos posse esse faciles, quæ, vel ambiguatatem, adeoque & periculi aliquid, inuoluant, vel analogiæ fidei & Scripturæ quam maxime adversentur, qualia esse omnia illa in principio in Dissidentibus a me improbata, & hic repetita, verba, res ipsa docuit. Et, cum haecenus a me disputata, speciminis loco, & ad omnis culpæ suspicionem a Deo longissime remouendam, sufficere posse, videantur, finem scribendi hic faciam, & nunquam τὴν ὠρισμένην βελήν καὶ πρόγνωστην τῇ Θεῷ circa Seruatorem ἐνδοτον, occupatam, permissionemque Dei, coniunctam cum sapientissima totius negotii nostræ redemptionis directione, deuota mente, & celebrare, & admirari,

desinam.

F I N I S.

Coll. Miss. A 186, 28